Ros Dok Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Threnodia In obitum Inopinatum, praeciduum, vereq[ue] luctuorum Iuvenis Praestantißimi, Ornatißmi & Doctißimi Dn. Johannis Alberti, Cothmanni I. U. Studiosi. Viri ... Dn. Johannis Cothmanni Icti ... Filii ... Rostochii anno quinquagesimo post decimam sextam salutis centuriam d. 26. Mai[i]. in vera Dei agnitione. & ardenti invocatione mortui, & die 5. Iuni[i]. Gustrovi[i] solemnibus exequiis sepulti ...

Rostochi[i]: Richelius, [1650]

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770478190

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

THRENODIA
In obitum
Inopinatum, præciduum, verèq;
luctuoſum Juvenis
Præſtantiſsimi, Ornatiſsmi & Doctiſsimi

DN. JOHANNIS ALBERTI, COTHMANNI
J. U. Studioſi.
VIRI
Nobiliſsimi, Magnifici Conſultiſsimi
DN. JOHANNIS COTHMANNI
JCti eximii, Comitis palatini Cæſarei & Cancellarij Megapolitani meritiſſimi, &c.
FILII perquàm dilecti.

Roſtochij anno quinquageſimo poſt decimam ſextam ſalutis centuriam d. 26. Mai. in verâ Dei agnitione, & ardenti invocatione mortui, & die 5. Juni. Guſtrovi ſolemnibus exequiis ſepulti.

Sapient. 4. v. 13. 14.

Conſummatus in brevi explevit tempora multa: Placita enim erat Deo anima illius: Propter hoc properavit educere illum de medio inquitatum.

LANDSCHAFT · BIBLIOTHEK D. MECKLENB. RITTER U.

ROSTOCHI, Typis NICOLAI KILII, Acad Typogr.

TE LUBECA dedit, Te fovit GUSTRO-
VIS alma,
Te ROSA defunctum vidit, & inge-
muit.
Patria poſt obitum nunc clarior obtigit, in quâ
Percipis ingenij præmia digna tui.
Hîc ubi vera SCHOLA eſt, Academia vera To-
nantis,
In qua perfectos. NOS DEUS ipſe facit.

*Hanc exiguam Memoriæ ſtatuam debitæ condolentiæ
gratia piè DEFUNCTO poſuit*

Matthias Behr / Nob. Megap.

---

*SCilicet ut Violæ pereunt ſub tempore Veris:
Sic cadit auſtero flamine læſus homo.
Usq; adeò nihil eſt, toto quod conſtet in orbe,
Momentoq; cadunt, quæ valitura putes.
Exemplo nobis COTHMANNI FILIUS
eſto,
Quam citò, quam ſubitò ceu ROSA verna
perit?
Hic variis donis ornatum pectus habebat,
Staturâ inſigni, moribus atq; piis.*

Sed rapit hunc JUVENEM celeri nimis impete Morta,
Tradit & anguſto membra tegenda rogô.
Feſtinata gemat quis non hæc funera? verùm
Panditur ad nullas flebilis urna preces.
Quisquis es auguſtæ probitatis quem tenet ardor,
Dicas: COTHMANNI molliter oſſa cubent.
Interea precor, ut PATREM ſoletur Jova,
Et faciat triſtes exſuperare vices.

Nobiliſſ. & Magnifico Dn. CANCELLARIO Filii ſui natu maximi obitum dolentiſſimè lugenti condolet

Adam Otto Vieregge.

ELectere ſi poſſent *parcas* pia vota ſeveras
Et probitatis honos, & clari ſtemmatis ortus.
Non hic COTHMANNUS fatis ceſſiſſet & umbris,
Progeneratus AVO, quem publica ſcripta celebrant,
Et Patre Magnifico, quem FERDINANDUS uterq;
Novit, & Imperij Proceres & Patria tota.
At ſupereſt unum ſolamen morte ſub ipſâ.
Fama hujus Juvenis nullo delebitur ævo.
In terris gelidum teneat licet oſſa ſepulchrum.

DI PATREM ſervent Patriæ prænobile ſidus,
Atq; diu ſervent ad publica commoda vitæ!

Condolentiæ teſtandæ causâ apponebat

Pagel Otto Vieregge.

Dum ſua COTHMANNUS conceſſæ tempora vitæ
Exegit, vocat hunc è ſtatione DEUS.
Pieridum ex umbrâ reſonantis ad oſtia Varni,
Rector *in æternam translocat atq; Scholam,*
In quâ DOCTORES audit, Patresq; *verendos,*
Aſpectu & fruitur Colloquioq; *DEI,*
ô bene, cui liceat ſic inclareſcere Muſis,
Ut penetret ſuperæ tecta beata Scholæ!

Humanæ ſortis & mortis memor p.

Cuno Paris Hahne.

QVi negat in Natos effundi ſemina Patrum,
Hôc ſe ſe ſanâ mente valere negat,
Sic Leo magnanimus fœtus producit in orbem,
Inſitus & parvis cernitur ardor equis.
Id Flaccus probat, & paradigma ſit ipſe JOHANNES
ALBERTUS COTHMAN, quem tulit atra dies.

 Semina

Semina nam ſtirpis præ ſe tulit haud obſcuræ,
Et fuit ingenio par, ſimilisq; PATRI.
Ut, ſi ſervaſſent vitam cœleſtia Fata,
Monſtraſſet magno ſe genitore ſatum.
Sed Letho raptum charites & Curia lugent,
Plenaq; mæſtifico corda dolore gerunt.

Lugens cum lugentibus ſcrib.

Volrath Friederich von der Lühe.

Horridus obſtupui, cum vox veniſſet ad aures,
COTHMANNUM propera ſuccubuiſſe neci.
O fama! ô rumor quid cor? quid percutis aures?
Nonnè fleam JUVENIS fata ſuprema pii?
Pulpita quam lugent, & turba novena ſororum,
Qua Roſa fragrantes ſolvit odore comas.
Quem deflent Proceres, quem deflet civicus ordo,
Hîc nempe ad gelidæ nota fluenta Neblæ.
Sed quid opus lacrymis. COTHMANNUS gaudia carpit,
Gaudia quæ nullum ſunt habitura modum.

Ultimo honorif.

Levin Otto Baſſe.

EHeu quam fragiles in mundo nos ſumus omnes!
Nil optabilius, quàm bene poſſe mori

Tu

Tu deceſſiſti placidâ COTHMANNE, quiete,
Incipis & vitâ proſperiore frui.
Nos tibi gratamur requiem, metamq; peractam
Quod tibi decurſum eſt, id mihi reſtat iter.

Condolens & mortalitatis memor hæc pauca addebat

Adolph-Friederich Hobe.

NOs ſimul ac orimur, morimur: Trahit ortus opacum
Occaſum: morimur non ſimul ac orimur.
Inde, quid eſt aliud, longam quod vivere vitam
Mortales dicunt, atq; diu morier?
Noli igitur nimium, PATER, indulgere dolori,
Quod dulcem NATUM, qui dedit, ipſe tulit.
Ne dicas: obijt ante diem dulciſſima proles,
Namq; diu vixit, qui bene fata ſubit.

Diederich-Otto à Winterfeld.

Strophe.

WIe es umb ein Graß bewand/
Das doch Gottes weiſe Hand
Künſtlich pflantzet in den Sand/
Vnd mit ſchönheit ſo beſtelt/
Das es wegen ſeiner Pracht
Gold vnd Perlen gleich geacht
Das es vor der Blühe hinfelt:

Antiſtrophe.

Alſo ſteht es umb die Noth/
ůmb den allzu theuren Koht/
umb den lebendigen Todt
Vnſers Todten-Lebens hier:
Vnſer Leib iſt Graß vnd Laub
Erd vnd Aſche/Sand vnd Staub
Vnd des Todes Beut vnd Raub/
Der uns ſtehet vor der Thür.

Epodos.

Epodos.

DEmnach Herr Cothman recht vnd wol/
Gleich wie ein Chriſte billich ſol/
Bey Zeiten ſich bedacht.
Erwehlte waren Glantz
Für die betrübte Nacht
Denn ſchönen Lebens-Krantz/
Denn Er erlanget hat: Er lebet nu in Freuden
Das Jahr der Ewigkeit/ vnd weiß von keinem leiden
In Summ'. Herr Cothman iſt nu kein vergänglich Graß
Die Schwacheit iſt vorbey/ Er iſt ein { Ehren / Gülden } Faß.

Andreas Pritzbaur/
Nob. Megap.

Ad Mœſtiſſimum Defuncti P

Magne Vir, Aſtrææ columen, Duci
Gloria, ſpes rerum maxima ,
Adſpice, qvanta cohors, facto ve tter
Flebilibus Nati plangere fat
Inter eos pietas, ſubmiſſio pector
Mente ſedet memori, me ſi
Qvi fuit infelix raptâ mihi Conju
Eſt ſimul infelix hoc morien
Omnia nunc florent, vitam novus
Natus at in vivis deſiit eſſe t
JAN-ALBERTIADES, qvo non fl
Palladis & Sophies, Eunomi
Fronti modeſtus pectore candidus
Virtutis gnarus, nec pietatis
Varniadum ſpecimen, Clarii gregi ,
Spes tua, ſpes ſenii, ſpes pa
Talis erat Natus, Roſeis qvem nup
Funere præpropero merſit
Qvid non varioli poſſunt? ſuccid
Primævum ſatagunt, decrep
Floſculus ut primo viſus floreſcer
Ante cadit medium præripi
Sic cadit hic primis Juvenis pulcer
Sic ubi jam cœpit floridus eſ
Qvid tibi nunc animi, VIR Conſu
Funera dilecti dum peracerb
Præ mœrore tibi vix conſtas ipſe,
Nomine qvantumvis ſis anin
Omnia perturbat caſus, dolor om
Qvæ te multa tenent ardua,
Qvid facias? mœrore velis deſiſte
Sic humana, brevi tempore
Hanc rerum noſti ſeriem: ſis ergò
Commenda Domino Teq; t

Ille